



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. De iis qui eligi prohibentur ob contractas censuras , vel irregularitates,
vel ob alias causas & impedimenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

rent (per iudicis scil. sententiam de crimine condemnati, quod ex jure secum trahit infamiam) per legitimi superioris dispensationem in integrum sint restituti: si verò infamiã Facti laborent, ita ut propter crimina sua publicè nota pessimè apud plerosque audiant, usque ad publicam, & constantem emendationem. Est autem criminosi infamis electio, si electus sit juris infamiã infamis, ipso jure nulla (cùm enim ipso jure hi tales acquisitis dignitatibus priventur, multò minùs ad eas acquirendas de jure admittuntur) si verò Facti infamiã laboret, in foro externo irrita quidem est talis electio, ut à iudice cassari possit, in foro tamen conscientiarum potest Prælaturam, ad quam electus est, recipere & retinere, si nemo ipsi defectum objiciat, & speret, quòd intra breve tempus per constantem & publicam emendationem sit infamiarum notam aboliturus *argu. relati c. inter dilectos*. In specie autem ob crimen eligi prohibentur Sacrilégi, *argu. relati c. venerabilem*. ambitiosi, qui scil. in sui electionem absolute consentiunt ante capitulare electionis decretum formatum & publicatum, *c. cum post petitam 46. h. t. falsarij Litterarum Apostolicarum c. ad falsariorum 4. de crimine falsi*. usurarij manifesti, & notorij, uti & publici aleatores, *c. inter dilectos 11. de excess. Pralat.* perjuri *c. querelam 10. de jure jurand.* Simoniaci *c. super eo 12. h. t. Ec. Marhaus 23. de Simonia Ec.*

* * *
* *
*

§. V.

De iis qui eligi prohibentur ob contractas censuras, vel irregularitates, vel ob alias causas, & impedimenta.

1. **E**ligi non possunt excommunicati excommunicatione majore, quamvis tolerati sint, ad Prælaturam Ecclesiasticam, ita ut eorum electio sit irrita *c. postulastis 7. de Cleric. Exco.* (cùm enim excommunicatus tali excommunicatione sit omnis juris Ecclesiastici acquirendi incapax, consequenter etiam inhabilis est, ut ad Prælaturam Ecclesiasticam eligatur) & quamvis etiam, electio, de excommunicato minore excommunicatione, scienter facta non teneat, vel saltem irritari possit, si tamen cum ignorantia probabili minoris excommunicationis electus est aliquis, tenet electio, uti ex alibi dicendis patebit.
2. Eligi non possunt suspensi, sive ab homine, sive à jure suspensi sint, sive suspensi sint ab officio tantùm, sive tantùm à beneficio, sive ab utroque: neque enim potest novum beneficium, aut novum jus ad beneficij fructus acquirere ille, qui ab exercitio, aut à jure percipiendi fructus sui beneficij, vel beneficij ab absolute suspensus est.
3. Nec interdicti personaliter eligi possunt, nec irregulares ex delicto aut defectu; nec schismatici, quamvis ex schismate ad unitatem Ecclesiæ reversi sint, nisi Papa cum illis dispenset, aut ab interdicto absoluti sint, *c. ult. de Cleric. exco. c. is qui §. is verò de sent. exco. in 6. c. quia diligentia §. h. t.*
4. Qui semel electus est ad Prælaturam, & ob vitium Personarum repulsus fuit,

fuit, non potest iterum eligi (nondum plenè curatus, aut emendatus, aut dispensatus) nec ad eandem, nec ad aliam Prælaturam; si verò electio, aut nulla fuit, aut cassata fuit, non ob vitium Personæ, sed ob aliam quamcumque causam, ob modum v. g. seu formam non servatam &c. tum iterum eligi potest ad eandem Prælaturam, prout habetur in *c. super eo 12. h. t.* excepto casu Simonie, de quo infra.

5. Ineligibilis etiam est ad Prælaturam, qui plura beneficia incompatibilia, electionis tempore, absque dispensatione pontificia, simul retinet *c. dudum 54. h. t.* ita ut ejus electio ipso jure sit irrita, tanquam indigni, & vitæ ac moribus improbi; quod etiam de jure novo juxta *extravagantem. Execrabilis Joan. 22. de prabend. verum est.*

§. VI.

An in Episcopum vel Prælatum eligi possit Extraneus, qui non est à Corpore, seu Collegio Ecclesie.

Resp. Conveniens quidem esse, ut unus è gremio sive Capitulo Ecclesie eligatur, si idoneus adsit, ita ut non possit invitis Canonicis extraneus obrudi, cum Ecclesie necessitatibus meliùs provisum videatur, si unus ex illius gremio eligatur, cui suæ Ecclesie necessitates magis cognitæ sunt, absolute tamen hoc necesse non est, cum possint Canonici favori pro se introducto cedere, ut ait Pontifex in *c. cum nobis 19. h. t.*

SECTIO. III.

De preparatoriis ad Electionem, sive de illis, quæ ad illam præcedere debent.

§. I.

Quenam ante Electionem præmittenda, & observanda sunt?

Requiritur priusquam ad Electionem deveniatur, ut Ecclesia illa suo Præsule viduata sit, sive ut vacet, non tantum de facto, sed de jure *c. quia propter 42. h. t.* ita ut vivente Prælate, quamvis de vita illius jam conclamatum sit, nihil collegialiter tractare possint Capitulares, quod ad futuram electionem necessarium est, prout sumitur ex *c. bone 36. h. t.* & non tantum talis tractatus, ante mortem Episcopi factus ipso jure nullus sit, ob defectum potestatis in Capitularibus, sed etiam electio, vi talis tractatus ante mortem habiti, post mortem consequens, annullari, & cassari debeat, ceu facta contra juris dispositionem: & quamvis decens non sit, ut de electione successoris tractetur à Capitularibus collegialiter, ante sepulturam Prælati defuncti, juxta *relat. c. bona*, absolute tamen hoc fieri potest, cum Ecclesia absolute vacet, & si necessitas urgeat, licite etiam fieri potest.

§. II.

De vocandis Capitularibus ad Electionem.

Vocandi sunt, cum Electio fuerit celebranda, omnes absentes, ut compareant, & sint presentes, sive ex communi